

future. Recognoscimus & publice protestamur. nos decimas capitales de bonis nostris patrimonialibus. diebus nostris. negligenciam solam que ab omnibus detestanda est potius quam alleganda. pro causa assignantes. detinuisse iniusto titulo & mala fide. Ne igitur talis corruptela, ab aliis trahatur in exemplum, memoratam negligenciam redimere. & periculum anime precauere volentes. Requisito consensu & obtento. Eorum quorum interest. curiam nostram. lunby. in provincia lasskahæret sitam, pro satisfactione memorate decime. Episcopo scarensi suisque successoribus cum omnibus attinenciis. colonis. molendinis. siluis pascuis pratis. pissariis & aliis. assignare duximus perpetuo possidendam. In cuius rei evidenciam sigillum nostrum duximus presentibus appendendum. Datum. Waldinbyerh. Anno. Dominj. M°.CC°.LXXIX°. die lune post circumdederunt.

På frånsidan: Regis valdemari de decimis capitalibus; med yngre hand: super curia in Lunby in laskahæred.

Sigillet bortfallet.

659.

1279 d. 3 Febr.

Risaberga.

WIGHLOG NILSSONS Testamente af åtskilliga gods till andeliga inrättningar och namngifne personer.

A. 3. g. 1: 2. *)

IN nomine patris & filii & spiritus sancti amen. Ego Wighlogus Nicholai quondam filius &c. *lika med N:o 615 till* mihi successione hereditaria prouenerant. mansionem meam sørær cum omnibus suis attinenciis mobilibus & immobilibus. & dimidiam marcam terre in censu in wannusum cum suis attinenciis ecclesie sanctorum petri & pauli apostolorum in strengenes confero liberaliter & assigno inperpetuum possidendam. relinquens eandem sub ordinatione venerabilis patri episcopi strengenensis ut ratione ipsi infundanda aliqua canoniam in mei memoriam perpetuo fieri faciat. & fiat unum altare in ipsa ecclesia strengenensi quod dicte prebende in perpetuum annectatur. Preterea mansiones meas in atalstum cum omnibus molendinis ibidem & omnibus aliis attinenciis tam mobilibus quam immobilibus cenobio sanctimonialium in Risebergh confero perpetuo possendas. vna cum prediis meis in hernungi. & dimidio solido terre in tuskø. & dimidio solido terre in bro. et in ecclesia dicti monasterij mei corporis eligo sepulturam. Insuper ad subsidium terre sancte octo solidos terre in firlundum. Item domino petro fratrueli meo incolatum meum in mom. Item predium meum in hvitæwang Elie sacerdoti filio meo naturali omnibus diebus uite sue. post decessum au-

*) Finnes äfven A. 3. g. 1: 7, med stycken qvar af derunder hängde sigillen N:o 5, 6; de andra 6 saknas.

tem suum Ecclesia apud unastum predium habeat supradictum. Ceterum omnes utriusque sexus mihi seruii condicione prorsus astrictos in omnibus mansionibus meis tam legatis pro anima mea quam aliis a iugo seruitutis eximens post mortem meam ascribo plenarie libertati. Jtem dilecte vxori mee hælgo racione donacionis que dicitur hindærdaghs gief. mansionem stafby. & quinque solidos terre in ingiby cum omnibus eorundem attinenciis. Jtem pro tertia parte mobilium que eidem in omnibus bonis nostris secundum leges terre debetur mansionem giriste & dimidiam marcham terre in vretum & III:or solidos terre in akræby integraliter cum omnibus predictarum mansionum & prediorum attinenciis confero pariter & assigno. retinendo mihi quo ad uitam meam omnium premissorum. prediorum reddituum & aliorum honorum usufructu. volens &c. *såsom N:o 615 till* petentes humiliter ut huic littere in huius rei testimonium sigillo meo signate. sigillum domini mei regis. & sigilla domini archiepiscopi & suffraganeorum eius. & domini Phÿ legiferi aliorumque meorum cognatorum apponantur. Datum Ry-sabiærh anno domini M^o.CC^o.LXX^o.IX^o. die beati blasii Martiris.

Sigillen: de 4 första äro Biskopliga och de 2 sista adeliga, alla skadade.

660.

1279 d. 16 Febr.

Glanshammar.

Lagmannen i Nerike PHILIP TÖRNERSSONS och WICHLOG NILSSONS Testamente af gods till Strengnäs Domkyrka.

A. 3. g. 1: 9.

Uniuersis tam presentibus quam futuris. Phillippus Thørneri quondam filius dictus legifer Nærichie & Wihlogus Nÿchulai quondam filius. Salutem in dei filio sempiternam. Ne cum racionabiliter actum est propter fragilem hominum memoriam obliuioni detur & calumpniandi materia maliciosis administratur. Nos tenore presencium tam presentibus quam futuris liquido declaramus quod ad honorem omnipotentis dei & gloriose virginis dei genitricis marie & beatorum apostolorum dei Petri & Pauli in remissionem peccatorum nostrorum ac parentum nostrorum ex consilio & consensu venerabilis patris domini Anundi strengnensis Episcopi bona quedam que propriis vocabulis exprimemus duximus ecclesie strengnensi liberaliter conferenda, videlicet nos Phillippus mansionem snøteberhæ & mansionem Runder cum molendinis, agris, pratis, piscacionibus & omnibus attinenciis dictarum mansionum tam mobilibus quam immobilibus supradicte ecclesie beatorum apostolorum Petri & Pauli iure proprietatis possidendas in perpetuum assignamus. Nos autem Wÿhlogus mansionem nostram sørær & dimidiam marcham terre in vatnusum eidem ecclesie conferimus, cum omnibus attinenciis di-